

D. D.
DISSERTATIO ACADEMICA,
DE
P H A L Ä N A
B O M B Y C E ,

QUAM,
CONSENT. EXPERIENTISS. FAC. MED.
IN ILLUSTRI AD SALAM LYCEO.

PRÆSIDE,
VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO.
Dn. Doct. CAROLO
LINNÆO,

EQUITE DE STELLA POLARI,
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,
MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.
ACAD. UPS. HOLMIENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.
LONDIN. MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCIO.
IN AUDIT. CAROL. MAJ. DIE IV. DECEMBER.
ANNI MDCCCLVI.

H. A. M. S.
PUBLICÆ VENTILATIONI OFFERT
S:Æ R:Æ M:TIS STIP.

JOHANNES LYMAN, LAUR. FIL.
FIERDHUNDRENSIS.

UPSALIAE, Excid. L. M. HØJER. Reg. Acad. Typogr.



L. N. 7.



ESTES primum ab hominibus usitatae fuere, ut tegerent corpus, & injurias ab illo repellerent externas, dein ut illud ornarent. Vestimenta, quæ naturæ maxime convenient ex pellibus Quadrupedum conficiuntur; purissima vero Lintea sunt & similia, quæ ex cortice plantarum in primis *Lini* parantur. Illa inserviunt præcipue contra frigus, hæc in primis contra æstum. Ambo hæc vestimentorum genera absolvunt plerorumque gentium vestitus. Sed cum luxus non adquiescat in utilissimo, in id totus quantus nititur, ut adquirat id, quod pretiosum est, & ornat; emit itaque æque care pretiosum, ac illud, quod summa utilitate sese commendat. Indi existimarent se inveniile gratam quandam materiem in fructu *Bombacis* & *Gossypii*, idque eo magis, qvum ipsa natura hanc producat absque eorum industria. Hæc etiam materia ceteris adhuc cognitis mollier erat,

Aliam

Aliam iterum vestimentorum materiem, eamque levissimam atque splendidissimam detexerunt incolæ Asiæ borealis, nimisrum ex Serico.

Hac de re in præsenti negotio uberius agere constitui, cum cultus hic luxu per dilectus sit, quo honoratores, cortice quasi nobiliori, a plebejis distingvuntur. Si omnes & singuli in eo conspirarent, utilissima esse quærenda & retinenda, Serico quidem carere possemus; Sed quum ritus & consuetudo (*la mode*) nullas ferat demonstrationes, consultius est concedere, quam opinioni suæ, licet veræ, præfracte inhærere.

Oeconomi hujus ævi calculum fecerunt, quantum pro serico asportando in Sveciam quotannis impendatur, inque his b. m. M. Triewald a) demonstravit illud longe lateque superare pretium ferri, quod quovis anno in patria conficitur. Et Clariss. E. G. Lijdbeek, Lundens. Prof. Celeberrimus, in oratione coram Acad. Sc. R. S. computavit serici crudi 20000 libr. in Sveciam quotannis inferri, quod ad minimum facit 240000 thal. arg. si quævis libra 12 th. arg. æstimetur *).

Hanc itaque rem intactam relinquere diutius, eo minus convenit, cum in Patria artes manuariæ & oeconomia tanta hodie coli cœperint industria. Haud itaque dubito, me opus suscepisse gratum, licet vires meas tenerimas superans, si paucis verbis, quod alii diffuso dicendi genere, conatus fuerim adumbrare BOMBYCEM, ejusque culturam in patria etiam possibilem.

Heic tamen observasse juvabit, me tantum ea expositurum, quæ ad forum Historiæ naturalis pertinent, cetera enim relinquo oeconomis nostris de patria optime meritis, qui pensum suum hac in re fere absolverunt. Nec me fugit, nominatum Triewald ex professo, ut dici

A 2 solet

a) A. S. R. S. 1745. *) Vide ejus orat. die XVIII.
Oct. 1755 habit.

solet proposuisse Historiam horum insectorum in *Actis Holmenses*. pro anno 1745, adeo ut Optimis Auctoriibus hac in re jure omni adnumeretur; sed cum omnibus ad manus non sit liber pretiosus plurium voluminum, vulgus vero desideret brevissimam viam hoc in negotio, solum in id operam collocabo, ut ex auctoriibus optimis & observatione propria, proponam compendium historiae hujus insecti per breve, sed forte sufficiens.

Manebo itaque præcipue in illis, quæ maxime necessaria sunt, nimirum in Bombycis historia ejusque cibo, scilicet Moro.

Anatomiam Bombycis siccо pede prætero, qvum optime delineata sit a *Malpighio* aliisque. Præterea existimamus vulgum &que posse carere hac cognitione, ac agricolæ, ignorant Boum atque Cerealium Anatomiam.

CAP. PRIMUM.

Vero simile est Chinenses primum invenisse sericum, cum in hac orbis parte Bombyces solum reperiantur spontanei, & natlo hæc, inter gentes, naturam omnium maxime imitari studeat. a) Poëtæ prisci existimarunt gentem quandam, nomine Ser vel Seres primum detexisse & coluisse hoc lanuginis genus, unde forte nomen agnosceret. Sed cum dicant sericum latere in fructu arboris cuius-

a) In Asia & copiose in China reperitur etiam alia Phalænæ larva quæ net folliculos serici, magnitudine ovi, ex quibus fila interdum plurium orgyiarum extricari possunt, bæc firmiora & tenaciora sunt, sed difficile ad finem perduntur, ideoque etiam communiter carminantur; bæc species quæ nominatur *Phalæna Atlas*, consumit folia citri. delineata est in Pet. Gaz. t. 8. f. 7. & Merian. Surin. t. 52 & forte 65, quæ etiam Americæ est alumna.

cujusdam, fieri potuit ut confuderint Gossypium cum serico; hanc tamen quæstionem nostram non facimus, siquidem nostrum non tangat propositum. Deinde cultura serici et regno Chinensi per varias regiones ad Persas pervenit, hinc vero postea ad Græcos Alexandro Magno bella adversus Persas gerente. Græci tum primum obtinuerunt Bombycis cognitionem, sed non didicerunt artem manuariam atque œconomicam sericum præparandi. Dum vero ceteræ artes atque scientiæ, hinc ad Romanos pervenerunt, haec etiam, licet imperfecta, accessit. *Justinianus* prudenterissimus regni occidentalis Imperator, perspiciens quantum lucri Persæ, per sericum ex ejus regno ceperunt, A. 533 duos misit nuncios, qui apud eos hanc perdisserent artem & secum domum portarent Phaiænas Bombyces, sed cum haec in itinere perierint, opera hac vice irrita fuit. Propterea iterum alii profecti sunt, qui ova earum adspicarunt, & tum primum limites occuparunt Europæ. Initio tamen institutum impeditabatur, adeo ut cultura serici non prius, quam Anno 1130 ad Sicilliam, sub Rege *Rugero*, pervenit, qui postea hanc artem propagandam curavit in nuperrime adepto regno Neapolitano, unde postea in Italiam, Hispaniam, Galliam & Borussiam migravit.

CAP. SECUNDUM.

MORUS Bombycis proprius, sapidissimus & saluberrimus est cibus, & ubi illa crescit ibi etiam coli potest sericum. Satis superque nobis constat Bombycem vesci posse foliis Lactucæ, Cichorii, Leontodon-tis, Ulmi & Urticæ, teste quoque *Bellonio* in Æthiopia, foliis Ficus. At vero ex hoc victu magis fragile Bombyx net sericum, ipse languidus, minus nitidus evadit, saepeque emoritur. Qui itaque sericum obtainere vult

vult nobilior, necessario sibi adquirat Moros, quibus Bombyces suos alat.

Morus est arbor affinitate quadam conjuncta cum Urtica, floribus masculinis distinctis a femininis, quatuor staminibus atque duobus pistillis ^{a)}). Quædam Mori species marem & feminam in una eademque gerunt arbore, quædam in diversis. Arbores veræ feminæ bacca-s ferunt, masculis licet destitutæ, quo in casu calyx evadit succulentur, baccamque mentitur, non vero producit pericarpium pulposum. In Spec. Plantar: enumerantur variæ quidem Mori species, ut *Alba*, *Nigra*, *Rubra*, *Tartarica*, *Indica*, *Papyrifera*, *Tinctoria*, an vero duarum postremarum folia arrideant Bombyci, adhuc nos fugit.

Morus alba in China sponte crescit, quæ habetur pro solo natali Bombycis. Hinc credere fas est, hanc Bombycum naturæ maxime convenire. Apud nos vero in Hybernacula per hiemem introducitur, at in Scania sub dio crescit non infrequens in hortis; sed quamdiu nostrates in Bombycum cultura operam minus collocarunt, hæc species susque deque habita fuit, propterea quod baccæ ejus fatui sint saporis. Ex Observationibus meteorologicis constat: hyemes apud Chinensis juxta Peckin, ubi etiam hæc sponte provenit, æque gelidas esse ac apud nos; unde etiam facile concludimus, illam etiam nostrum ferre clima. Idem testatur N. D. PRÆS. in Itin. Scanico, ^{a)} observans, Mori hanc speciem, ne quidem sub dio, in Scaniæ hortis periisse per intensissimum gelu Anno 1739 & 1740. Folia Mori Albae teneriora sunt ceteris, facilius itaque Bombycum recens natorum dentibus conteruntur. Ex allatis negati nequit hanc arborem ferre clima Scaniæ merito.

^{a)} Cfr. N. D. PRÆS. Gen. Plant. edit. V:ta N:o 936.

^{a)} Cfr. Ejusd. It. Scan. pag. 83.

dionalis, Blekingiae & Hallandiæ, quæ regiones utique sufficerent ad sustentandos tot Bombyces, quo serico producendo opus est in Svecia.

Morus nigra, quæ esculentas sapidissimasque fert baccas, etiam Bombyci est victui, licet paululum duriora & crassiora sint ejus folia. Frequens est hæc in hypernaculis Sveciæ superioris, sed præcipue hortulani arbores feminas eligunt, cum mares baccis careant. In Scaniæ hortis sub dio modicam fert hyemem. Sed cum saepius in Svecia intra quindecim aut novendecim annos atroces insurgant hyemes, gelu aduruntur quemadmodum intra Annos 1739 & 1741 accidebat. Tunc omnes fere arbores Scanicæ, præter unam in foro Ystadensi confitam, ita lædebantur, ut subseguente æstate nulla promerent folia. Hinc maxima pars incolarum, Moros suas ut deperditas amputarunt. Alii hoc negligentes cum fructu reperibant, has subseguente æstate 1742 regerminare & foliis vestiri b). Sic etiam hæc Mori species cum lucro seri potest in meridionalibus Sveciæ provinciis; sed observasse juvabit, hanc magis succulenta delectari terra quam ceteras, littoraque amare propter tempestates.

Morus rubra Americam septentrionalem, ut solum natale, agnoscit. Hæc majora quam præcedentes exhibet folia, molliora vero quam *Morus nigra*, sed duriora quam *Morus alba*. Unde etiam quando harum trium Mororum folia Bombycibus apponuntur, primum devorant folia Mori albae, dein eligunt rubræ, ultimo nigræ. Ex Botanicis constat Morum rubram ad Quebecum usque sponte crescere, ubi hyemes æque gelidæ sunt ac in Svecia. Hoc impulit N. D. PRÆSIDENTEM una cum L. B. S. C. BJELKE præter CETEROS ex Ac. Scient. Holmens. ad proponendum, ut aliquis rerum

b) N. D. PRÆS. It. Scan. p. 261.

rerum naturalium cognitione imbutus , ad Americam Septentrionalem mitteretur , qui inter alia detegeret , num hæc in Svecia cum fructu feri possit , & quale inde sericum neat Bombyx . Hoc iter periculi & laboris plenum in se suscepit Cl. D. KALM , hodie Aboënsium Professor Celeberrimus , & ita absolvit , ut jam , sub dio , in variis nostris hortis egregie adolescat Morus hæc . Sed cum ab eo tempore intensa adhuc nulla apud nos exstiterit hyems , certi quid hoc in negotio statuere non valemus . Interim nobis constat , hanc exhibere Bombyci svavissimum cibum , nobisque sericum haud vilis pretii .

Mori tartaricæ speciem siccum ad N. D. PRÆSIDEM missum fuit ab expeditionis Asiaticæ Adseffore Heinzellman , quod juxta Emporium Tanais (Azow.) in silvis crescens observavit . Ex Geographicis & observationibus Meteorologicis scimus , ibidem rigidiores esse hyemes quam apud nos ; Quamdiu vero non intraverit Europæorum hortos , nec affirmare neque negare possumus , num hoc in negotio nobis nostroque usui satisfaciat .

Morus indica , descripta est in horto Mâabarico & nuper in Auctuario Rumpfi p. 8. t. 5 Illa eo minus nobis prodest , qvum imperfectas quasi habeat gemmas , adeo ut hyemes nostras ferre nequeat . Sic licet Bombyx hisce duabus postremis vesci possit , eas tamen ut superfluas seponimus .

CAP. TERTIUM.

Ova Bombycum per literas & commercia facile e regionibus Europæ meridionalibus obtinere possumus illæsa , gravissima licet hyeme . Servari tamen debent in loco frigidiori , ne calore excludantur cito nimis , vel quando

quando nulla inveniuntur folia Mori. Hinc inclusa Ia-
genis vitreis in cella deponi debent, ne mucorem con-
trahant, vel ab insectis devorentur. Et cum fero verner
Morus, exclusioni ova non sunt tradenda prius, quam
vernavit Morus. Tum ponenda sunt in loco tepido, &
ibi intra quatuor vel octo dies excluduntur. Larvis par-
vis, atris, nuper editis folia Lactucæ porrigi solent, us-
que dum firmiores evadant dentes, præsertim si folia
Mori sint adultiora. Postea foliis Mori aluntur; circa
quod probe cavendum, ne sicca & arida, neque ro-
re aut imbre humida sint folia; ex his enim hydropem con-
trahunt. Recentia illis dantur folia, quando arefiunt pro-
posita, vel illa devorarunt. Quando sicca evadunt folia,
una cum excrementis ejicienda sunt, ne Larvæ quotidie
ex illorum fœtore inquinatae, morbis graventur & emo-
riantur; adeoque methodus Chinensium egregia est ca-
psulas scilicet subtus tegere rete, ut consumtis in priori
foliis, ex ea sponte se recipiant in novum super impositum
cas, recentibus foliis impletum, qvum facile percipient no-
va folia, neque hoc pacto manibus aut instrumentis transpo-
nenda lèdantur. Abovo usque dum pupæ evadunt Bom-
byces & nere incipiunt quinque fere præterfluunt hebdo-
mades, quo tempore in domibus asservandi sunt ne pereant
rigore aëris, rore, noctibus frigidis, nec a Passeribus a-
liisque devorentur avibus, nec ab Ichneumonibus lèdan-
tur. Cavere etiam debemus ne vapore pereant.

Sub ipsa Bombycum scena quinque occurunt stadia,
quæ quatuor distingvuntur somnis, qui nihil aliud
important, quam tempus illud quadripartitum, quod vi-
tam eorum demetitur, antequam Phalænæ evadunt. Ex
horum temporum cognitione dignoscere licet eorum æta-
tem & morbos infestantes.

Primum stadium ab ovo, durat per septem dies ad
B depo-

depositionem vestis fuscæ, quo primus somnus niger esse dicitur, tunc duobus postremis diebus vix edit.

Secundum, numeratur spatum temporis abhinc octo dierum, dum vestimenta induens alba, iterum edere definit, sub somno secundo se. *Albo*.

Pro Tertio habentur octo illi dies a præcedentibus, dum iterum *tertia* vice nova ornatur cute, quod tertio somno *desquamationes* comprehenditur.

Quartum absolvunt dies octo sequentes, quibus ex actis ultimum corium deponunt, sub somno dicto *quarto excoriationis*.

Quinto stadio iterum edere continuant per septiduum, abstinent dein ab omni cibo & nere incipiunt,

Hæc quinque stadia inter quatuor somnos, iis, qui Bombyces colunt, regulæ instar erunt, secundum quam pabulum illis porrigant. *Primo* stadio aliquoties de die illis tradenda sunt folia. *Secundo* semper bis, mane & vesperi. *Tertio* ad minimum ter de die appetunt recentia folia. *Quarto* pluries de die nova exspectant, tam enim avide edunt, ut dentium crepitus audiatur. *Quinto* stadio minime esurire debent, quoniam inde minus nent. Sub somno nulla folia afferantur, sed in quiete relinquuntur, idque necesse est ut Larvæ sint ætate æquales, nec aliæ teneriores, aliæ adultiores simul mixtæ, sed in distinctis vasculis affervatæ; minime autem oportet mutare vase sub somno earum, quum sub hoc actu in quiete degant necesse sit; ceterum observandum ut sufficiens semper illis locus concedatur, plures enim si arcte coacerventur, saepius ægrotant & morbis contagiosis inficiuntur, quibus facile plurimi pereunt.

Sub primo stadio cavendum a frigore ne lœdantur, adeoque si frigidior insurgat tempestas calore foci mitiganda est. Adultiores facti facilius ferunt tempestatem, ideoque in quacunque domo facile conservantur, modo non fenestræ æstui meridianò nimis expositæ sunt. Obser-

servandum etiam ne ex calore fornacum sedis, vel fœtore loci molestiam patientur. Cavendum semper a Muri-
bus, Avibus, Ichneumonibus similibusque hospitibus. So-
let autem domus instar Bibliothecæ instrui, quibus vasa
imponuntur, Larvis apta. In primis prospiciendum est, ut
cibus e recentibus foliis non deficit; ut locus a sordibus
purus; ut aer siccus, non suffocans aut fetidus; ut calor non
nimius adsit; ut ægri justo tempore removeantur, qui fa-
cile tristi colore dignoscuntur. Postea dum per duos dies
cibo abstinuerint, glabritie nitentes pellucidique nere incipiunt,
& ad subeundam aliam mutationem apti evadunt.
Tunc instrumento quodam sub ore, duobus poris instructo,
prædicti sunt, quo secernunt liquorem quandam viscidum &
in aëre indurescentem ad formam duorum filorum. Huic
fundamento innititur folliculus Bombycis, constans saepe filo
100 orgyiarum, juxta magnitudinem ultimi articuli pollicis.*)

Hoc opus uno vel duobus perficit diebus, quo absolu-
to, intra folliculum, in pupam transformatur. Hic jacet fe-
re immobilis, sine ore pedibusque quatuordecim circiter
dies. Dein Pupæ exuit vestem, dum evomit liquorem, men-
struum verum serici, quod aperit folliculum, & inde
exit vibrans alas, ut siccetur.

In Scenam itaque prodit jam PHALÆNA (Bombyx)
pectinicornis elinguis, alis reversis albidis: fasciis obso-
letis fuscis; macula lunari.

Aldrov. inf. 280-281. 246 f. 2. 3.

Fonst. inf. t. 22. Papilio Bombyx.

Monff. lat. 181 Bombyx.

Mer. eur. I. p. t. 1.

Gæd. belg. I. p. 93. t. 42.

List. Gæd. 84. f. 32.

Blank. belg. 60. t. 9. f. D. E. F.

Charl. onom. 40. Papilio Bombyx.

Alb.

* Color serici albus & flavus differt tantum varietate.

Alb. angl. t. 12. f. 16.

Bradl. nat. t. 27. f. 1. E. 1.

Trievald. A. S. R. S. 1745.

Fn. Sw. 258. 833.

Vulgo Bombyx. Svet. Silkesmatk.

Gall. ver a soye.

PHALÆNA est mediæ magnitudinis, pallida, albicans. Oculi nigri. Antennæ albæ, pectinatæ radiis nigris. *Alæ superiores* albidæ fasciis obsoletis, fuscouscentibus, angustioribus, longioribus posticis, juxta apicem excavatae, macula lunari in medio disci. *Alæ inferiores* latiores, postice versus anum etiamnum latiores, margine exteriori prominentes ante superiorem alam, macula obscuriori ad marginem teneriorem versus abdomen.

Postquam Phalænæ evadunt, nihil nisi venerem spiringant, vertunt sese undiquaque, usque dum abdome fe-
minas tangant, tunc coeuntes retrorsum, canum instar hamo penis cohærent. Jam immobilis fere est mas, nisi aliquoties tremeret alis. Separatus vero postea exsiccus & torpescens, post duos dies moritur. Femina vero hisce peractis nuptiis evacuat materiam quandam fluidam fu-
sco-luteam, inquinantem locum cui immittitur, ibidemque ova sua deponit. Ova hæc primo sunt flava, dein grisea & opaca, præ ceteris rotunda & compressa. Postea etiam femina, ut mas, langvida e vita decedit.

Sic ætas Bombycum octo circumscribitur hebdomadi-
bus. Cum apud nos ætas duos per menses æque jucunda sit ac
alibi, licet non tam calida, ad colendos tamen Bombyces suffi-

cit, & Morus alba nostrum ferat clima, per legiti-
timam consequentiam sequitur, Bombyces in
patria coli & posse & debere.

T A N T U M.

